

alius quispiam, cui negotiatio cum veneno non competit, illud venderit, vel ei donaverit. 5. *De auxilio & consilio?* an inquisitus sua sponte venenum in alterius nocumentum præparaverit, an ab alio fuerit instigatus, & consilio ad id instructus: quis ipsum docuerit modum præparandi venena, qua ratione facta sit illa præparatio, & quomodo tandem præparatum venenum applicaverit. Hisce & similibus accuratè prius exploratis Judex demum ad certam pœnam, vel etiam ad absolutionem pervenire poterit.

ARTIC. LI.

Qui incendium fatebitur.

So der Gefragt ein Brand bekennet.

Bekennet der Gefragt ein Brand / man sol ihn sonderlich der Ursach / Zeit und Gesellschaft halb / als ob stehet / fragen / und des mehr / mit was Feuerwerck er den Brand gethan / von wem / wie / oder wo er solch Feuerwerck / oder den Zeug darzu zuwegen bracht habe.

AD ARTIC. LI.

ARGUMENTUM.

Incendium sub tortura confessus itidem super aliquibus specialioribus circumstantiis est interrogandus, quo genere materie incendium peregerit, à quonam, qua ratione, & ubi sibi comparaverit talia instrumenta, quibus illud delictum potuerit perficere.

EXEGESIS.

EX istis circumstantiis Judex cognoscere poterit. 1. *An materiam ad incendendum aptam habuerit, & an fuerit talis, quæ injecta in alterius ædes incendium excitare potuerit: an funes sulphuratos, pulverem nitratum, vel stramen supposuerit clam alicujus tecto.* 2. *An ab aliquo ad id fuerit instigatus? sive an sponte sua, & qua de causa alterius ædes incendio perdere voluerit. An verò ab alio fuerit commotus, & quas causas ipse allegaverit, quare illum ad tale facinus commoveret. Qui quoque postea similiter audire, examinarique poterit, ut constet, numquid suspectus sit, qui itidem possit paulò severius examinari: an*
con-